18

G.I.18.

...oes - - - - - - -

Malvasia - - - - -

...e Muscatto - - - - -

...n - - - - - - -

...n - - - - - - -

Braszel -

Capollo - - - - 2

...atthao

Cmf. 5.

Simon Schlesinger

BREVISSIMA SYNOPSIS AD CIRCUITUM VIARUM DOMINICÆ PASSIONIS IN MONTIBUS ZEBRZYDOVIANIS ERECTARUM PRO COMMODO VIATORUM DESERVIENS

ANNO DOMINI 1764.

Cum Licentia Superiorum.

Olomucii, Typis Josephæ Hirnlianæ, Factore Martino Franc. Karletzky.

F. THOMAS GLATTZ

Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ S.P.F. Almæ Provinciarum Matris Minoris Poloniæ Miniſter Provincialis & in Domino Servus.

Synopſim Devotionum, continentem pios affectus, ad excitanda Fidelium corda erga amaram Chriſti Domini Paſſionem, Stationibus Hieroſolymitanis in celebri monte Calvarienſi ſignatam. Cum A. R. P. Joannes Capiſtranus Polaniecki Lector Jubilatus, & Ex-Miniſter Provincialis, zelo animoque hæc ſacra loca viſitantibus Peregrinis ſerviendi, devote compoſuerit: ideoque idem Opuſculum imprimendi damus facultatem, ſi iis ad quos ſpectat ita in Domino videbitur. Datum in hocce Conventu Noſtro Calvarienſi. Die 6. April. 1762.

Fr. Thomas id. qui ſup.
Miniſter Provincialis.

STATIO I.

Ad S. Raphaelem Archangelum.

℣. Adoramus Te Christe, & benedicimus tibi.

℟. Quia per sanctam Crucem tuam redemisti mundum.

Hi versus in omni Statione recitari debent.

MEDITATIO.

Considera anima mea, quid pro te dulcis JESUS in tota vita sua egerit! quomodo itineribus, vigiliis,

jejuniis, laboribusque attritus fuerit? quot ærumnas, perſecutiones, & ignominias per annos triginta tres toleraverit, ac tandem Jeroſolymam, ut pro te moreretur, exultans ut Gigas ad percurrendam paſſionis ſuæ viam ultro perrexerit? quapropter accingere ad viam hanc poſt Ipſum anima mea; utere ductu ſtrenui Ducis tui Sancti Raphaelis Archangeli ad hoc a DEO tibi ordinati, ut Eidem pro tanto beneficio, laudem, gloriam, & honorem exhibeas.

ORATIO.

DEus, qui Unigeniti Tui patientiâ, antiqui hoſtis contriviſti ſuperbiam; da nobis quæſumus; ita ea, quæ probis pertulit recolere, ùt cùm ipſo regnare valeamus. Amen.

Pater noſter, & Ave Maria,

STATIO II.

Ad Valedictionem SS. Matris.

MEDITATIO.

COnsidera anima mea: quod in hac vita mortali nîl magis fuit cordi Christi Domini, quàm sua Sanctissima Mater, & tamen saluti nostræ accinctus, renuntiat generosè humanis, & Eidem valedicit. Informat te hic anima mea exemplô suô Salvator tuus; ut tempestivè sis parata renuntiare omnibus humanis, quæ cordis tui sunt, sicquè exonerata in reliquo vitæ tuæ cursu vivas, ùt nihil præter ipsum desideres.

ORATIO.

COncede quæsumus misericors DEUS fragilitati nostræ præ-

ſidium, ut qui Sanctæ Dei Genitricis valedictionem recolimus; intercesſionis Ejus auxiliô, noſtris iniquitatibus valedicamus. Amen.

Pater noſter, & Ave Maria.

STATIO III.
In Sepulchro Beatisſimæ.
MEDITATIO.

PErquire diligenter anima mea, an in hoc mundo posſis aliquod ſtabile, & ſtricte proprium pro ſe ex omnibus rebus invenire? & reperies, quod nihil tale, præter unicisſimum tibi ſupereſſe Sepulchrum. Tale proprium cum omni jure ad ſtrictisſimam hæreditatem, emerat ſibi olim magnus Patriarcha Abraham; ut inſtrueret mortales omnes poſſesſiones illorum tranſire, & ipſis ſolùm remanere Sepul-

pulchrum. Quapropter quisquis es, inter primas curas tuas, cura Sepulchrum; cogita mori. Multos enim non poterant Provinciæ, Regna, imò nec totus Orbis capere, quos tamen procepit Sepulchrum. Te ùt hæc proprietas ſtricta capiat paratum, Sanctiſſimæ Matri devotè hic animam tuam commenda.

ORATIO.

BEatæ & Glorioſæ Virginis Mariæ, quæſumus Domine intercesſio glorioſa in mortis articulo nos protegat, & ad vitam perducat æternam. Amen.

Pater noſter, & Ave Maria.

STATIO IV.

In Horto Gethſemani.

MEDITATIO.

INgredere hunc Hortum anima mea, &

&c in illo tantiſper conſiſte: in hoc cognoſces extempló, quod ubi inchoata fuerat iniquitas, ibi inchoatur & ipſius abolitio. Hic Dominus Angelorum ſtat inter myrteta, quia Proto-Parens noſtra ſteterat inter arbores, ad frangenda prohibita; incipit Chriſtus guſtare amara; orat, tædet, pavet, ſanguine ſudat, & agonizat; quia primus homo guſtavit ſuavia, pulchra, & viſu delectabilia: occupat pallor Salvatoris noſtri ora: quia occupaverat Evam longa in diſcurſu cum ſerpente mora! ſubdit voluntatem ſuam Chriſtus Dominus Patri: quia Proto-Parentes noſtri ſuam voluntatem callido ſubdidere colubro. Quapropter agas maximas gratias Chriſto Domino in hoc Horto pro peccatis tuis patienti, anima mea, quod tam ordinatiſſimè reparationem Salutis tuæ incipiat, ipsúmque vita chriſtiana, & ſanctis propoſitis tuis, angelico exemplo paventem confortare.

ORA.

ORATIO.

DOmine JESU Chriſte, qui, ut me omnibus periculis victorem faceres, triſtitias & anguſtias meas ſpontè aſſumptas, ſanguineo ſudore tuo irrigaſti; da mihi, ut in omnibus tentationibus ad orationem recurram, timores ſuperem, vitamque meam, & mortem ipſam ſanctiſſimæ voluntati tuæ totaliter ſubjiciam. Amen.

Pater noſter, & Ave Maria.

STATIO V.

Ad captionem Chriſti Domini.

MEDITATIO.

UT dulci fiſtulæ cantu capitur avis, ſic dulci oſculô Judæ, etſi dolosô

traditur & captivatur Christus. *Quemcunque osculatus fuero; ipse est tenete eum, & ducite cautè.* O versutissime proditor quid facis? talisnè pro Sanctissima esca, quam in ultima cœna sumpsisti retributio? defle anima mea hoc execrabile Judæ factum; defle tyrannicam traditionem, & dolosam captionem Christi, cujus manus stringunt funibus, Caput pugnis, sacram faciem alapis, & aures blasphemiis implent. Trahitur amor noster, ut jumentum Jerosolymam, tum hic, & in itinere tractatur ùt jumentum. Perpende anima mea! an & tu in hoc Judæ facto non comprehendaris? an dolosis signis amicum non prodas, famam ipsius denigrando? cogita hæc emendare, & propone, cavenda, nè pro his factis extendat rete suum inimicus tuus, & capiat te cum Juda in æternum.

ORA-

ORATIO.

DOmine JESU Chriſte qui, ut ſervum redimeres, Ipſe vendi, ligari, & crudeliter tractari voluiſti; da nobis, ut per tua ſacratiſſima vincula, à peccatis omnibus ſoluti, & liberi eſſe mereamur. Amen.

Pater noſter, & Ave Maria.

STATIO VI.

Ad Flumen Cedronis.

MEDITATIO.

SUbſiſte in hoc itinere anima mea! & vide, quid iſti Sathanæ miniſtri cum ligato Chriſto Domino faciant? dum Ipſum de ponte dejiciunt, acſi non eſſet ullius miſerationis dignus!

gnus! hic pauperculus mergitur, in lapidibus cruentatur, & catenis ex aquis, velut Balæna extrahitur. In his tamen omnibus cruciatibus Patientissimus JESUS os suum non aperuit, nec conquestus est. Recogita hæc anima mea, & an ipsum in contemptibus tuis imiteris? an injurias tuas patienter sufferas? an ad verba molesta non inflammeris? & pro ipsis plùs ultra reportes? quapropter munda lachrimarum aquis conscientiam tuam, & mitissimum Dominum tuum in sancta patientia imitari propone.

ORATIO.

DOmine JESU Christe, da mihi hanc gratiam, nè me unquam conturbent hominum malitiæ, qui amaritudinem pœnarum de torrente, in via Sacratis-

tissimæ Passionis tuæ inperturbatô animô pro me bibisti. Am.
Pater noster, & Ave Maria.

STATIO VII.
Ad Portam Orientalem.
MEDITATIO.

FOrtassis diceres anima mea, quod porta Orientis, per quam introducitur Jerosolymam Christus Dominus, erit ipsi porta vitæ: ast non ita est: dum mortis, non vitæ illi initia præbet. Ecce jam a scelestissimo populo pedibus calcatur, percutitur, conspuitur, blasphematur, quæ omnia nonnè sunt mortis indicia? Ergo dicas potius quod porta ista sit verus portus, de quo ascenditur mare amarissimum Suæ Passionis & horrendæ mortis. Ad quod, si & tu ascendere

cupis, in hac porta, retracta, quod omnia benè portantem peccatis tuis sprevisti, & conculcasti ut bene enaviges vitam tuam, per Dominicæ Passionis seriam memoriam.

ORATIO.

OMnipotens sempiterne DEUS! precor te humiliter, nè me perire permittas, in magno mari peccatorum meorum; sed concede mihi spatium verè pœnitendi, ut per puram confessionem, & contritionem, tuique Filii Passionem, semper tibi placere valeam. Amen.

Pater noster, & Ave Maria.

(✠)

STA-

STATIO VIII.
Ad Annam.

MEDITATIO.

ACh Patientissime JESU! quid tecum erit, dum ad Annam venisti? conjicio, quod hic tua innocentia pervertetur, & corruet, nam Annas ex Ethymonominis, plures contra te quæres instituet an? an? an? quibus si te non poterit convincere, ut reum, certè modô extraordinariô sivè judiciariô morti te condemnabit. Et eccè quod cogito mente, hoc in facto Annas exercet, dicens populo: *expedit vobis ut unus moriatur pro populo, & non tota gens pereat.* Hoc suasu, omnes contra Christum surrexêre, miles cathafractus crimine læsæ Majestatis ipsum affecit, dum manu ferrea usque ad copiosam per nares, & ora san-

ſanguinis profuſionem colaphizavit. Alii ſputis, lutô, & linguâ percuſſerunt, ſicque cum ſcrutinio nulliter facto contra juris ordinem Caiphæ remiſerunt. Ach JESU dulciſſime! doleo ſuper te dolore maximô, quod pro me annihilaris, doleo & ſuper me! quod legem tuam non ſervaverim; parce Domine pœnitenti, pro quo tam rigoroſa examina, & ignominias ſubiiſti.

ORATIO.

DOmine JESU, qui potuiſti ulciſci impiam manum potentiâ tua, ſed noluiſti; ut nos patientiam doceres; dimitte noſtram in judicando temeritatem, in oppugnanda veritate improbitatem, impiam contra oppreſſos audaciam, & da veram cum tuo amo-

amore inimicorum dilectionem. Amen.

Pater noster, & Ave Maria.

STATIO IX.

Ad Caipham primò.

MEDITATIO.

AB Anna ad Caipham deductus JESUS, accusatur pessimis criminibus: interim aperitur Annæ processus, contra Christum fabricatus, quô perlectô, sinè ulteriori examine, viâ facti procedit Caiphas, & ut mortis reum carceribus mancipandum tradit. Contemplare hæc dolorosâ mente anima mea. illiquè ex corde compatiaris, proponeque nè ullum judiciô temerariô condemnes.

ORA-

ORATIO.

DOmine JESU Chriſte Judex omnium juſtiſſime, qui nè nos judiciô tuô ad æterna ſupplicia damnares, falſum teſtimonium & iniquum judicium ſubire voluiſti, da nobis gratô animô, hanc tuam immenſam pietatem recolere, & à te, qui es via, veritas, & vita nunquam recedere. Amen.

Pater noſter, & Ave Maria.

STATIO X.

Ad Carceres.

MEDITATIO.

HÆccinè eſt amor animæ meæ JESU Chriſte requies tua? hæccinè

eſt

eſt pernoctatio tua? ach! deficit mens mea in doloribus, dum te videt in tantis fætoribus! recogito primam in Præſepio quietem tuam, & obſtupeſco! recogito ſecundam in hoc carçere inter carnifices, & penè emorior. Inveſtigo cauſam hujus, & illam in me ipſo invenio. Proch dolor! nocturna incontinentia mea, libido mea, carnalitates meæ hanc tibi paravêre quietem fætidiſſimam. Ach JESU dulciſſime flos campi, & lilium convalium; effundo cum dolore cor meum in hoc carcere in tui deprecationem, dimitte peccatori, & proponenti meliora, da ut per tuam incarcerationem evitem fætidiſſimum inferni carcerem.

ORATIO.

DOmine JESU Chriſte libertas animarum, qui pro redemptione mundi non ſolùm capi,

pi, ligari, ſed etiam carcerari voluiſti; da nobis quæſumus ut de carcere corporis egreſſi, ad tuam libertatem pervenire mereamur. Amen.

Pater noſter, & Ave Maria.

STATIO XI.

Ad Caipham ſecundò.

MEDITATIO.

VIx aurora apparuit, vix dieſcere cœpit, & ſubitò magnus Judæorum conventus atrium Caiphæ implevit, non alio fine, niſi ut JESUS incarceratus condemnetur. Educitur itaquè de carcere totus lividus, ſtatuitur ad tribunal, in quo, dum in anteactis judiciis nulla contra ipſum ſolida cauſa habeatur, ultimatè adjuratur per DEum Omnipotentem, ut dicat, an

ſit ipſe Meſſias in lege promiſſus nec ne? ad quod quæſitum, Æterna Veritas, quæ nec falli nec fallere poteſt, directè & affirmativè reſpondet, pro quo reſponſo blaſphemiæ reus ab omnibus, & mortis proclamatur. Ach Judices perverſiſſimi! ita nè verum pro falſo, falſum pro vero rectè judicandum cenſetis? Videbitis amodo Filium hominis in ſede Majeſtatis ſuæ veſtra judicia condemnantem. Tu anima mea! non intres ad conventum malignantium, nè condemneris cum eis, ſed eas poſt veſtigia æternæ Veritatis, proponendo mori potiùs, quàm falſum in judicio profari.

ORATIO.

DOmine JESU Chriſte, qui pro confeſſione veritatis damnari voluiſti; da mihi usque ad mortem veritatis amorem, & ſi aliquandò ab illa declinavi, tu ocu-

oculos tuæ pietatis ad me converte, ut hoc cum S. Petro lachrimis diluam. Amen.

Pater noster, & Ave Maria.

STATIO XII.
Ad Pilatum primò.

MEDITATIO.

ETsi profanus sit Judex Pilatus, satis tamen humanus, dum JESUM ad suum tribunal productum suaviter (vix non Tobiæ ore alloquitur. Unde te habemus bone juvenis) At in eodem puncto Principes Judæorum retorquent, malum esse, & non bonum juvenem dicentes: *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* Vide nostras inquisitiones, perlege, & cognosces non tantum malum, sed pessimum esse crudeli morte dignum.

Le-

Legit, perpendit, & nihil horum invenit, quod loquuntur. Itaque, nè innocentem condemnando se ipsum condemnaret, ad judicium Herodis Regis Galileæ ipsum remittit, quem de potestate ipsius esse rescivit. Rapitur itaque furibundè JESUS ad Herodem, & in itinere pugnis, verbis, & variis contumeliis afficitur. Vide anima mea, & considera quanta sit Judæorum contra innocentiam protervitas, quæ nec Judicis suasu remittitur, nec miseratione emolitur, sed magìs ac magìs accenditur, recogita hæc, & defle, si fueris tantâ malitiâ maculata contra innocentem illamque detestare.

ORATIO.

DOmine JESU Christe, qui à judicio judaico, ad gentilem Judicem duci voluisti: da nobis per benignitatem tuam qua nos

exi-

exigentibus meritis Passionis tuæ vocasti, ut te in æternum laudemus. Amen.

Pater noster, & Ave Maria.

STATIO XIII.

Ad Herodem.

MEDITATIO.

JAm certe totus infernus effusus est contra Christum, cum ubique probro habeatur. Ad primum Ipsius intuitum gavisus est Herodes, sed ulterius cum tota sua Regia illum sprevit, & irrisit, Pilatoque retrò ùt insanum veste alba indutum remisit. Nonnè ista ars diabolica est? excæcare omnes viros cordatos, qui præstolabantur adventum Christi, ne agnoscant natum, tot miraculis clarissimum? certè, ita est: pro stulto hic reputatur Sapientia

Pa-

Patris, ſed inter ſtultos pulcherrimè lucet, dum ad ſtulta & curioſa quæſita, ſtultis nihil reſpondet. Ecce anima mea, pro te Chriſtus hic factus eſt in deriſum omni populo, & tu pro illius gloria, ac tuo merito, nec unum verbum moleſtum, ſilenter vis tranſire. Ergo cum Chriſto fias ex nunc homo non audiens, & non aperiens os ſuum.

ORATIO.

DOmine JESU Chriſte, da mihi hanc gratiam, ut albam innocentiæ veſtem, quam poſt Baptiſmum multoties amiſi, ſaltem in ultimis hujus vitæ diebus illam aſſequi merear. Amen.

Pater noſter, & Ave Maria.

STATIO XIV.

Ad Pilatum ſecundò.

MEDITATIO.

JAm jam Pilate non effugies iniquitatem, niſi depoſueris Judicis perſonam. Jam à te omnino ſententiandus eſt Chriſtus, in hunc finem ab Herode, ad te eſt remiſſus. Queres diffugia, ſed inania, mandando flagellari Chriſtum crudeliter, ut populus videndo flagellatum: *Ecce Homo* deſiſtat à morte ipſius, quam prætendit, ſed gratis, omnes enim clamant, *tolle, tolle, crucifige eum, ſi hunc dimittis non eris amicus Cæſaris.* Hic clamoribus perterritus Pilatus, nè excidat à gratia Cæſaris, lavat manus coram populo innocentiam ſuam demonſtrando, & non tàm libenter, quàm reverenter aſcendit tribunal, ac ad mortem Crucis Chriſtum damnat. Vide anima mea, quam fortis ſit favor humanus, dictabat rectitudo conſcientiæ, nè innocentem JESUM damnet, & favor potentiſſimus pervertit ſenſum

Pi-

Pilati, ut faciat oppositum. Plange anima mea planctu magno super Dominum tuum tam attrociter flagellatum, totumque sanguine perfusum nè damnetur; & tamen damnatus est. Addunt dolori ipsius dolorem feroces satellites, dùm capiti ipsius coronam spineam violenter imponunt, arundinibusque intrudunt, per quod acculei cerebrum & oculos penetrant, ac inexplicabiles dolores causant. Ach! ach! anima mea quis dabit capiti tuo aquam, & oculis tuis fontem lachrimarum, ut plores die ac nocte, quod pro te justè damnanda, injuste damnatur Christus. O JESU! jam mori potius volo, quàm te offendere, parce Domine, parce, & non damnes me in tempore judicandam.

ORATIO.

DOmine JESU Christe qui humano generi condolens, fla-

gellari, ſpinea corona torqueri, & humiliter mortis ſententiam acceptare voluiſti, reſpice ad indignas preces noſtras, ut per hæc tormenta, & injuſtam condemnationem tuam, à morte æterna liberari mereamur. Amen.

Pater noſter, & Ave Maria.

STATIO XV.

Ad Impoſitionem Crucis.

MEDITATIO.

ANtiquum eſt proverbium, qui vult finem, vult etiam media ad finem, ſic olim magnus Patriarcha Abraham egit, dùm ad filii ſui victimationem, etiam ligna ad victimam neceſſaria providit, & in humeros Filii ſui illa impoſuit Gen. 22. ſic & in

tem-

tempore Redemptionis nostræ Pater æternus fecit, Qui cum ab æterno disposuerit Unigenitum Filium suum pro salute generis humani sacrificare, etiam ligna dudum provisa humeris ipsius imposuit. Vix enim perlectum est decretum Crucis, statim crudeles Satellites rapuerunt Christum, & ad paratam Crucem adduxerunt, illamque ipsi imposuerunt. Suscepit alacriter obedientissimus JESUS, ultimum suplicii sui instrumentum, & ad victimam velociter cucurrit. Cogita hic anima mea, an cum tanta alacritate cruces tribulationis de manu DEI suscipiebas, & sufferebas, nec nè? ideo propone, ut posthac crucem tuam alacriter portare discas.

ORATIO.

DEUS qui ad portandam crucem humeros tuos promptè misisti, da nobis ut exemplô

tuô: quævis adverſa promptè & hilariter ſufferre ſtudeamus. Amen.

Pater noſter, & Ave Maria.

STATIO XVI.
Ad Primum Lapſum.

MEDITATIO.

COnſidera anima mea, quàm ponderoſa ſit hæc crux Domini tui, dùm vix illam in humeris ſuis poſuerit, ſubitò viribus deficiendo cum illa corruerit. Reflecte te anima mea, an hic lapſus Chriſti frigida tua propoſita non præfiguret, quæ etſi promptè aſſumis, citò tamen in illis deficis & corruis. Quapropter immitare modum Chriſti Domini labentis, ut ſicut ille cadens, in eodem fermè inſtanti crucem oſculatus ſurrexerit, & de-

denuò aſſumpſerit, ita & tu ad meliora reſurgas, & viam cæptam in ſanctis propoſitis alacriter perficias. Tandem crux ponderoſa non tam fuit Chriſto Domino, ut peccata totius mundi, quæ cum cruce, & in cruce delenda aſſumpſerat. Proinde gratias agas pro his anima mea Chriſto Domino, & illum per ardentiſſimam charitatem usque ad mortem ſequi non recuſes.

ORATIO.

DOmine JESU Chriſte, qui totius mundi peccatis cum cruce aſſumptis corruiſti, ut illorum gravitatem cognoſcamus; exoramus te ſupplices, ut per lapſum tuum, nos à peccatis noſtris reſurgamus. Amen.

Pater noſter, & Ave Maria.

STATIO XVII.

Ad Occurſum Beatiſſimæ Virginis Mariæ.

MEDITATIO.

TRiſte ſpectaculum video; occurrentem Matrem Filio, inter duo latrones medio, ad cujus aſpectum, quod non ſit extincta, ſpeciale DEI Potentiæ opus fuit. Tanta enim amaritudine, & dolore cor ipſius replebatur, quod ſi in omnes homines guttatim divideretur, omnes ſimul (juxta S. Bernardinum Senen.) interirent, jam hic Maria converſa eſt in maram, ſeu amaram, quia amaritudine replevit eam Omnipotens, ut una cum Filio ad noſtram utilitatem patiatur. Plorant oculi, quòd tam deſpoticiſſime ducatur ad montem Calvariæ dulciſſimus Filius, qui ſilente lingua,

lo-

loquitur ad Matrem corde, ùt Divinæ voluntatis memor ſinat lachrimari. Eja anima mea compatere utrique in tam triſti ſpectaculo, & roga Dulciſſimam Matrem, ùt à Filio ſuo cor contritum & humiliatum tibi impetret, tantùm animosè cum ipſa paſſibus amoris ſequere Chriſtum, à via Crucis ejus nunquàm declinando.

ORATIO.

DOmine JESU Chriſte, qui Doloroſiſſimam Matrem tuam voluiſti habere Sociam amariſſimæ Paſſionis tuæ; da nobis ut per ipſius interceſſionem, & noſtram compaſſionem, tuam conſequamur gratiam & gloriam ſempiternam. Amen.

Pater noſter, & Ave Maria.

STATIO XVIII.

Ad Cyrenæum.

MEDITATIO.

ONuſtum pondere Crucis JESUM, cum jam præ debilitate ultra progredi poſſe deſperarent cohortes, nè in via animam agat, coegerunt Simonem Cyrenæum, ut portet crucem ejus. Tu anima mea non coactè ſed ſpontè accurre ad crucem Domini; adjuva in ferrendo JESUM, illique tuum affectum oſtende, dicens: Ethai ſecundi Reg. cap. 15. *In quocunque loco fueris Domine mi Rex, ſivè in morte, ſive in vita, ibi erit ſervus tuus*, ſcilicet adjuvans & ſerviens tibi.

ORATIO.

DOmine JESU Chriſte, qui in portanda cruce adjutorem ha-

habere voluiſti; da nobis ut omnes crucis tuæ ſimus bajulatores, & in æternum Majeſtatis tuæ adoratores. Amen.

Pater noſter, & Ave Maria.

STATIO XIX.
Ad Veronicam.

MEDITATIO.

PUdeat tam barbaros eſſe Jeroſolymitanos Cives, quod ex tot millibus illorum nullus inventus ſit miſericors, qui Chriſti Domini faciem, lutô, ſputis & ſanguine plenam abſtergeret. Pudeat ipſos, quod hominem ab Jeruſalem deſcendentem in Jericho, percuſſum, à latronibus ſpoliatum, vulneratum, & ſanguine perfuſum, etſi ſecùs viam jacentem, ex tot tranſeuntibus nullum fuiſſe alli-

gantem vulnera ejus, ita & modo; sola nobilis matrona Veronica compatitur Christo, & beneficiô misericordiæ occurrit ei, Dùm triplicatô capitis sui velô, faciem Ipsius tergit, & mundat, pro quo, gratitudinis ergo ad perennem rei memoriam, triplicem impressionem faciei Christi recipit felicissima. Accede & tu anima mea ad deformatam Domini tui faciem, absterge illam compassivi cordis tui velô, & illam in eodem impressam recipiet.

ORATIO.

DEUS qui animas nostras lumine tuæ gratiæ signasti, da nobis, ut & filii tui signemur facie, in quam desiderant Angeli, & nos prospicere. Amen.

Pater noster; & Ave-Maria.

STA-

STATIO XX.

Ad Portam Occidentalem in qua ſecundus lapſus.

MEDITATIO.

IN porta occidentis vix non occaſum paſſus eſt Chriſtus, dum tumultuantis populi inclementiâ preſſus & oppreſſus; ſecundò cum cruce in terram cadit. Hic calcatur ab hominibus, percutitur à Satellitibus, conſpuitur à Phariſeis, convellitur à Spectatoribus, ità atrociter, ac ſi novam Paſſionem inchoaret, dum cum ipſa morte luctari eum neceſſum erat. Recordare hæc devoto corde anima mea, & ipſi gratias age, quòd te tot cruciatibus ſuis voluerit ab æternis cruciatibus inferni liberare.

ORATIO.

DOmine JESU Chriſte, qui ſecundò ſub cruce in terram corruens, atrociſſimos dolores in hac porta ſuſtinuiſti, libera nos in occaſu vitæ noſtræ, nè corruamus in æternum. Amen.

Pater noſter, & Ave Maria.

STATIO XXI.

Ad Mulieres flentes.

MEDITATIO.

COnſidera anima mea, quantæ miſerationis ſunt viſcera D. N. J. Chriſti, qui etſi ipſe omni conſolatione privetur, nihilominus flentes mulieres ſuper ſe conſolatur, dicens: *nolite flere ſuper me.* Et quare Domine mandas ùt temperemur à lachrimis?

re-

reſpondet Dominus: quià ego ſpontè vado immolari pro vobis, & toto mundo. Quarè ſi vobis lubet flere, flete ſuper vos, & ſuper filios veſtros, quorum peccata omnibus vobis januam Regni cœleſtis clauſerunt; quam ego hodie cruce mea, & morte aperiam. Vos interim pœnitemini, & flete ſuper vos. Audis anima mea conſolatoria verba JESU Chriſti: ergo defleas peccata tua temporaliter, ut in cœlis cum ipſo læteris æternaliter.

ORATIO.

DOmine JESU Chriſte animarum noſtrarum Conſolator, da nobis ut per affectuoſam compaſſionem ſuper te, obtineamus veram compunctionem à te, ſolvatur hic culpa noſtra fletu, ut ſalvemur gratiâ tuâ ab æterno interitu Amen.

Pater noſter, & Ave Maria.

STA-

STATIO XXII.

Ad tertium Christi lapsum.

MEDITATIO.

IN montis culmine constitutus Christus proximus suplicii loco viribus exhaustis tertiò cadit sub cruce. Isti lapsus trini quid nobis indicent? misticam anima mea rationem percipias. Ipse enim est Summus Sacerdos, qui ab æterno obtulit exhibenda pro nobis DEO Patri trina Sacrificia, nunc verò trinô casu suô offert illi tria Sacrificia: Hostiam puram pro Angelis ut puris Spiritibus. Hostiam sanctam, pro omnibus peccatoribus, ut sint Sancti, juxta illud prima Petri, *Sancti eritis, quia ego Sanctus sum.* Hostiam Immaculatam pro omnibus immaculatis, in via, nè unquam maculentur. Hanc ut acceptet Clementissimus Pater, tri-

no

no casu ipsum adorat & deprecatur. Hinc est, quod nullum levamen præstent Angeli Christo Domino, quia ipsi tremenda Sacrificia interrumpere nolunt. Nec ullus amicorum sublevat Christum, quia ipse tunc omnes ad barathrum lapsos per suos casus sublevabat. Surgit itaque de terra JESUS, per ultimam virium potentiam, ut generale pro omnibus cruentum Sacrificium perficiat, & ad hanc victimam trahitur ùt agnus sinè misericordia. Age itaque maximas gratias anima mea Summo Sacerdoti tuo, qui per hæc Sacrificia reconciliavit te perfectissimè cum Patre æterno, Ipsi sit gloria in sæcula.

ORATIO.

DOmine JESU Christe qui nobis Patrem æternum reconciliâsti; da, ut trini casus tui, nos in ipsius gratia conservent,

nè

né unquam ab hinc eum voluntariè offendamus. Amen.

Pater noster, & Ave Maria.

STATIO XXIII.

Ad Despoliationem Christi Domini.

MEDITATIO.

EXtremam Christi ignominiam considera hic anima mea, dum detractis crudeliter vestibus, omnibusque vulneribus apertis, nudus in conspectu tantæ multitudinis confusibilissimè stat, solo sanguine tectus, præ rubore nimio castissimus Dominus languet, & per commiserationem Judaicam felle potatur. Obstupescite cœli super enorme probrum Christo Domino inflictum, quod quantô tormentô Ipsum afflixerit, explicatu difficile est.

eſt. Recogita hæc anima mea quantùm poteris, & roga Dominum tuum, ut in agone tuo pro nuptiis cœleſtibus, te veſte nuptiali veſtiat.

ORATIO.

DOmine JESU Chriſte, qui cum maxima cordis tui tortura nudari voluiſti, ut nos nudos cooperires; da nobis gratiam finalem, nè nudi in conſpectu tuo compareamus. Amen.

Pater noſter, & Ave Maria.

STATIO XXIV.

Ad Crucifixionem.

MEDITATIO.

VIx pervenit ad locum Golgothæ Chriſtus, ſubitô in trabem agitur, manus & pedes extenduntur, &

cla-

clavis obtusis perforantur tam crudeliter, quod partem carnis intra foramina attraxerint, omnes artus totius corporis dissolvebant, ita ut numerari potuerint, per quod verificatus est Psal. 21. dicens in Persona Christi, *Foderunt manus meas & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.* Errigitur tandem in altum vexillum crucis, cum Christo crucifixo, & in Scrobem cum tanto impetu demittitur, ut venæ rumpantur & aperiantur, penultimas sanguinis guttas demittentes. Aperitur ultimò lanceâ latus, ut in totum, ultimam sanguinis mixtam aqua guttam, in perpetuum amoris signum animabus nostris relinqueret. Tandem moritur inclinato capite JESUS, quem terra, petræ, & Sol deflent, mortui resurgunt, velum scinditur, & omnes creaturæ cum Angelis gemunt. Et tu anima mea quid ages? quærebas olim sollicitè ubi nam sit Dilectus tuus? ubi permaneat, ubi cubet in meridie?

Ecce

Ecce illum vides, quòd in loco aperto, publico, & alto Calvariæ monte maneat. Non mutabit locum hinc, quia cruci acclavatus tenetur. Accede ergò ad ipsum, & millenis cum lachrymis manus & pedes ejus basiis exora, ut ad cor tuum descendat, quem cùm possidebis, memor Passionis illius semper, prætiosa mors ejus, dabit tibi vitam pretiosissimam, nam æternam.

ORATIO.

SAncte Deus, Pater immensæ pietatis, qui justum furorem tuum, quem nos pro peccatis nostris merueramus, super Filium tuum Redemptorem nostrum convertisti, Ipsumque in cruce suspendi, aceto potari, clavis & lanceâ vulnerari permisisti; concede nobis quæsumus, ut fructu,

tam

tam crudelis mortis ejus, in cœlesti gloria, perfrui mereamur. Amen.

Pater noster, & Ave Maria,

STATIO XXV.
Ad Sepulchrum Christi Domini.
MEDITATIO.

MAgnam consecutus est apud DEUM gratiam S. Tobias, pro eò quòd mortuos dabat sepulturæ Tob. 12. Sed incomparabiliter maximam gratiam consecuti sunt apud DEUM Sancti Joseph cum Nicodemo, pro eò, quòd sepulturam procurârunt Christo Domino, corpus ejus de Cruce deposuerunt, & in proprio Sepulchro cum aromatibus devotè condiderunt. Ipse enim sepultus ut verus DEUS, factus est ipsis merces magna nimis. Ad hanc sepulturam quantæ lamenta-

tio-

tiones fuêre & lachrimæ Sanctissimæ Matris, quantus ploratus, & ululatus piorum hominum? tetigit rem acu S. Matthæus cap. 2. in Rachele filios suos plorante. Jam mæstissima Mater orbabatur Filiô, dum sepulturæ tradebatur Corpus Filii, jam drachmam amissam dolebat potenter, & tamen omnia hæc ferebat constanter. Fortior in hoc Agare, & Rachele animosior; nam Agar noluit videre morientem puerum: Ipsa verò & morienti astitit, & sepulturæ adfuit. Rachel noluit consolari de perditis Filiis. Hæc verò voluntate DEI solabatur, & ipsi se conformabat. Tantæ Matris exemplô offeras te voluntati DEI anima mea ad omnia adversa patienter toleranda, & quæ totius Dominicæ Passionis misteriis devotè assistebas, pro coronide in hoc Sepulchro Salvatori tuo affectuosissimum offer suspirium, qui pro te multocies in tota Passione sua ad Patrem suspirabat, nè

da-

damneris, & ſpera certò, quod finale expirium tuum, fiet tibi reſpirium ſempiternum.

ORATIO.

DOmine JESU Chriſte Fili DEI vivi, pone paſſionem, crucem, mortem, & ſepulturam tuam, inter judicium tuum, & animam meam, nunc & in hora mortis meæ; & mihi digneris dare gratiam, ac miſericordiam, vivis veniam, defunctis requiem, Eccleſiæ tuæ pacem & concordiam, omnibus Benefactoribus noſtris, ac loci hujus ſacri Fundatoribus, ac Conſervatoribus vitam & gloriam ſempiternam. Qui vivis & regnas &c.

Pater noſter, & Ave Maria.

Hic proſtrati jacendo orant.

℣. Adoramus te Domine JESU Chriſte, & benedicimus tibi.

℟. Quia per ſanctam Crucem tuam, redemiſti mundum.

ORATIO.

RESpice quæſumus Domine ſuper hanc Familiam tuam, pro qua Dominus noſter JESUS Chriſtus, non dubitavit manibus tradi nocentium, & crucis ſubire tormentum. Qui tecum vivit & regnat &c.

Poſt hæc petent Benedictionem à Sacerdote, quâ obtentâ, deſcendendo ad Eccleſiam inferiorem cantent vel piam cantilenam, vel Te DEum laudamus.

A. M. D. T. O. M.

Gloriam.

RIGIDUM OPUS
Salvatoris noſtri JESU Chriſti
Per Annos triginta tres
OPERATUM
seu
Corona Annorum Domini N. J. Chriſti variis Indulgentiis exornata.

PRÆPARATIO.

Per Signum S. Crucis † de inimicis noſtris libera nos DEus noſter.

℣. Benedices Coronæ anni benignitatis tuæ.

℟. Et campi tui replebuntur ubertate.

ORATIO.

O Pater miſericordiarum, & DEUS totius noſtræ conſolationis fons, qui nobis ex immenſo amoris tui theſauro, dediſti pretioſiſſimam gemmam Unigenitum Filium tuum, ut pro debitis

bitis nostris, ex toto pretium solvat per executionem in terris rigidissimi nostræ redemptionis operis, ut omnis in ipsum credens non pereat, sed habeat vitam æternam. Quapropter pronus Majestatis tuæ bonitatem adoro, & humilimè supplico, ut mihi benedicere digneris, quatenùs hanc coronam Annorum & vitæ ipsius sanctissimæ Mysteria continentem salutariter inchoare & perficere possim, fervido & devoto corde recolendo omnes ipsius labores, sudores, fatigationes, & inexplicabiles dolores, quos pro me, & toto genere humano misericorditer pati, tibique in satisfactionem pro nobis offerre dignatus est. Quàpropter in unione tanti amoris ejus, & sufficientis oblationis, ego etsi indignissima creatura tua, ad laudem nominis tui, hanc coronam offerre desidero, ad meam, Confratrum meorum, & totius Sanctæ Ecclesiæ utilitatem

In nomine ✝ Patris, & Filii ✝ & Spiritûs ✝ Sancti Amen.

Dicatur Ave Maria unum, & Primum.

ORATIO.

O Speculum verè cryſtalinum, nulla macula affectum, SS. Virgo Maria, ſaluto te, magnifico, & tuam Immaculatam Conceptionem ex animo profiteor, & per miſterii hujus ſupereminentialem Dignitatem, nulli puræ creaturæ adusque conceſſam, devotiſſimè exoro, ut per hanc, & ſimul miraculoſum tuum de Spiritu S. Filii DEI conceptum, quem cum Virginitatis honore enixa es, ablactâſti, & honeſtè educâſti, impetres mihi peccatorum veniam, mentisque & corporis candorem, ut his donis ornatus, poſſim in corde meo increatam puritatem ex te genitam, Dominum meum JESUM Chriſtum dignè conſervare. Amen.

Hic dicatur 10. *Pater noſter.*

ORA-

ORATIO.

O JESU ineffabilis cordis mei dulcedo, per infinitum amorem tuum qui te de cœlis ad Uterum Virginis attraxit, Sanctum Joannem Baptiſtam in utero S. Eliſabeth ſacravit, in Præſepio locavit, paſtoribus nuntiavit, Nomen Sanctiſſimum JESUS circumciſo impoſuit, tribus Regibus ſtella duce DEUM in homine verum, cultu latriæ adorare mandavit, in Eccleſia obtulit, ad Ægyptum tranſtulit, inter Doctores pro triduana informatione reliquit, & tandem Sanctorum Parentum obedientiæ ſubmiſit. Rogo te corde contrito, ut ad illud per gratiam tuam deſcendas, à peccatis emundes, ſanctifices, & tui amoris dulcedine perfundas, Te ſolùm ab hoc momento perfectè amet, peccata caveat, Tibi ſe totaliter offerat, in gratia tui uſquè in finem perſeveret, mundum contemnat, Præecptis tuis

ſe alligatum cognoſcat, & tibi in æternum obediat. Amen.

Dicatur unum Ave Maria.

ORATIO.

O Deliciosiſſimum Domini mei JESU Chriſti conclave Immaculata Virgo Maria, & ſimul per amorem Filii (qui pro ſalute mea nimis fatigabatur, ſtrictiſſimè jejunabat, laboribus extenuabatur, & viribus deſtituebatur) precor; ùt mihi apud ipſum finalem in gratia perſeverantiam impetres, cum alacri animo in ſpiritualibus laboribus de die in diem proficiendi. Amen.

Hic dicatur 10. *Pater noſter.*

ORATIO.

O Myſtice Agnelle Innocentiſſime JESU, ſalva me precor, prius damnatum, quàm natum per Sanctum Baptiſma tuum, quòd à Joanne in Jordane ſuſcepiſti, per quadragenarium jejunium tuum, per gratioſam

San-

Sanctorum Apostolorum vocationem, per conversionem aquæ in vinum in Cana Galileæ, per suavissimam cum peccatoribus conversationem, per infirmorum curationem, per stupenda miracula, per gloriosissimam Corporis Transfigurationem in monte Thabor, per triumphalem in asellulo urbis ingressum, per Transubstantiationem panis & vini, in corpus & sanguinem tuum. Fac amabilissime JESU, ut anima mea post hujus vitæ terminum, in tali tibi præsentetur statu, in quali baptizata fuit, mortificet nunc per gratiam tuam, corpus jejuniis, vocationi suæ obsequetur, fiat ex filia iræ, filia gratiæ, vivat cum proximis suaviter, currat fragilitate infecta ad sacræ Confessionis & pœnitentiæ lavacrum; in fide sancta tuis miraculis roboretur, amorè tui velut lampas accendatur, damnet mundi vanitates, hocquè solum scriptum legat in capite libri conscientiæ suæ, ùt condignè corporis & san-

 gui-

guinis tui perceptione in vitam sempiternam enutriatur. Amen.

Dicatur unum Ave Maria.

ORATIO.

O Mare amarissimum Maria! saluto te amaritudinibus plenam, quæ veluti gladii ex utraque parte acuti, non solùm cor tuum, sed etiam animam tuam sautiarunt, & simul humillimè exoro, ut mihi impetres donum lachrymarum apud Filium tuum, sanguineos labores pro me sufferrentem, ut non solùm externè, sed etiam internè possem tam ipsi patienti, quam tibi dolenti meritoriè compati Amen.

Dicatur 10. *Pater noster.*

ORATIO.

O JESU animarum nostrarum Sponse, rogo te humillimè, per sanguineos in horto Gethsemani sudores, iniquam per Judam proditionem, crudelem captionem, ignominiosissimas in Palatiis Annæ & Caiphæ tibi infli-

flictas alapas, per irrisiones Herodis, per atrocissimam in Prætorio flagellationem, per iniquam ad mortem condemnationem, per tormentuosissimam in cruce corporis tui extensionem & affixionem, & tandem per mæstissimam in sepulchro tumulationem. Da mihi quæso ob amorem tui Calicem omnium adversitatum alacriter bibere, & inimicis benefacere. Liga cor meum funiculis amoris tui ut non abhorreat pro delictis pœnitere, illa integrè confiteri, omnes contemptus patienter sufferre; sit corpus meum ità mortificatum, sicut decet membro sub spinoso capite existenti: sic enim tollet cruces hilariter, vitiis & concupiscentiis morietur, & tandem in vulneribus tuis, velut in foraminibus petræ sepultum quiescet. Amen.

Dicatur unum Ave Maria.

ORATIO.

SAluto te omnibus deliciis paradisi repleta, Sanctissima Virgo Maria,

& per amantiſſimum cor Domini N. J. Chriſti Filii tui (qui ſua horrenda morte mortem noſtram deſtruxit, dieque tertia glorioſiſſimè à mortuis reſurrexit, & ſe tibi præ primis in glorioſo corpore victor præſentavit, ut cor tuum doloribus ſauciatum exhilararet) humiliter exoro, ut mihi impetres apud ipſum, pefectam de omnibus inimicis meis, tàm inviſibilibus, quam viſibilibus victoriam. Amen.

Dicantur tria Pater noſter.

ORATIO.

O Leo de tribu Juda fortiſſime, triumphator invictiſſime JESU Chriſte, rogo te humiliter, ut pergloriosiſſimam reſurrectionem tuam, ad cœlos aſcenſionem tuam, & Spiritus Sancti in linguis igneis miſſionem, dones mihi reſurrectionem de peccatis, ad cœlum jus hæreditarium, donis Spiritûs S. confirmatum, ut totus mundus mihi amareſcat, & tu ſolus dulceſcas. Amen.

Dicatur unum Ave Maria.

ORATIO

O Serenissima cœli & terræ Regina Sanctissima Virgo Maria, saluto te humiliato corde, & supplices ad te expando manus, ut per supremam Divinæ maternitatis tuæ dignitatem, impetres mihi apud Dilectissimum Filium tuum (qui te gloriosa resurrectione sua, ascensione, & Spiritus S. missione, modo inexplicabili in terris lætificavit, & ad cœlos, ut decuit Matrem triumphaliter introduxit) finalem in bono perseverantiam, & cum hac gratia. felicissimam ad æternam vitam transmigrationem. Amen.

Hic dicatur Credo.

OBLATIO CORONÆ.

SUscipe Clementissime JESU, hanc exilem Orationem meam ad laudem tui persolutam, quam ego, per purissimas Sanctissimæ Mariæ manus (usque ad centrum nihili mei prostra-


tus)

tus) offero, & me in Sanctiſſimis vulneribus tuis occludo, exorando Majeſtatem tuam, ut omnes labores, ſanguineos ſudores, flagellationes, & alias horrendas pœnalitates tuas, quas per triginta tres vitæ tuæ annos pertuliſti, ſuſcipere digneris pro omnibus defectibus & exceſſibus in tota vita mea quoquomodo patratis, fiat hæc Corona ex miſteriis annorum tuorum contexta, oculis tuis jucunda, animæ meæ proficua, Confratribus annorum tuorum, & univerſæ Eccleſiæ DEI ſalutifera. Amen.

In fine dicatur ter Qui paſſus es pro nobis JESU Chriſte miſerere nobis.

FINIS.

1 Imbi[illegible]
1/2 Gwoźd[illegible]
2 Gałki [illegible]
1 Laś [illegible]
1/2 Cynam[illegible]
1/2 Kapa[illegible]
1/4 Liści [illegible]
11/2 Angiel[illegible]
1 Podeszw[illegible]



otheca
sium in Bielany
1000PLN
ce Jagiellońskiej
05472
G.I.18



768493 **Bibliotheca** 1000PLN
P.P. Camaldulensium in Bielany

Depozyt w Bibliotece Jagiellońskiej
05472

G.I.18

519

G-

	Ingberu	
1/2	Gwoździków	
2	Gałki Muszkatołowe	
1	Łot Kwiatu Muszkato	
1/2	Cynamonu	
1/2	Kaparków	
1/4	Liści Bobkowych	
1 1/2	Mydła Apollo	2
1	Podełko Kapsułków	
	Cmf.	5.

p. Simon Schlesinger